

J. Medina E
GS/A

Caput V

DE ORDINE OECONOMICO ET DE IUSTITIA SOCIALI

Prooemium

1. (Hodierna in bonis gignendis efficacitas sed non imminuta discrepantia inter extremos socialis vitae coetus). Postremis hisce decenniis oeconomicae plurimum nationum rationes bona gignendi efficacitatem admodum adauxerunt. Attamen Ecclesia dolet et conqueritur, quod aucta exinde opum copia haud satis adhuc contulerit ad promovendam, ut oportet, eorum sortem qui in infimis vitae condicionibus versantur. Quo fit ut non raro etiam nunc immane vigeat discrimen inter sive populorum sive singulorum divitias eorumque potentatus et ingentes multitudines hominum qui asperam coguntur degere vitam quique miseria ac famis angustiis oppressi, summis vitae iuribus minime fruuntur et debita securitate privantur.

Quae quidem quaestio de augescente disparitate in re oeconomica et sociali ac de bonorum privatione vitae sustentandae necessariorum potissimum graviter urget, cum in universo terrarum orbe valde in dies augescat hominum multitudo. Ex quo manifesto patet, quantopere hodie necessarium sit, ut terrarum orbis incolae numero crescentes, magis magisque ad rerum copias efficiendas concurrant aptis modis et bona necessitatibus inserviantia recte et largius consumentur.

Nec desunt rerum efficiendarum rationes et gignendis bonis coetus in quibus opificum humana dignitas laeditur.

PATRIMONIO UC

2. (Activitas oeconomica eiusque fines humani). Activitas oeconomica est activitas humana et ideo intra fines ordinis moralis perficienda. Ex hoc sequitur quod persona humana dum prosequitur methodos et leges quae ad utilitatem oeconomicae obtinendam proxime spectant, prosequi etiam debet fines humanos individuales et sociales ipso intrinsece connexos. Et ita perfectionem suam etiam quoad aspectus non oeconomicos vitae, adquirat et ad bonum commune conferat.

Finis igitur activitatis oeconomicae exigit ut bonorum temporalium copia efficaciter omnium personarum, familiarum, civitatum necnon totius humani generis progressui sociali et morali faveat.

Pariter iustitia et aequitas postulant ut cum rei oeconomicae incrementis semper et potiore modo humanae vitae progressus simul coniungatur, ita quidem ut discrepantiae inter civium classes, coetus, varios activitatis oeconomicae campos, regiones atque nationes non augeantur, sed quantum fieri potest, generoso omnium conatu, immuantur et homines familiaeque infimae condicionis indesinenter progrediantur.

3. (Humanae vitae progressus rationali, organica et concordia actione fovendus). Dum progressus vitae oeconomicae maiorem possibilitatem obiectivam affert, ut melius ac facilius fines et aequilibria at-

tingantur, quae humanae vitae sive individualis sive socialis. ~~o~~
plene respondeant, videant omnes ut reapse haec possibilitas
in praxim deducatur.

5 Ex activitatis oeconomicae rationali progressu hoc fluit of-
ficium, ut rerum oeconomicarum provincia nec eventuum cursu vel
competitorum arbitrio relinquatur, nec pleno absolutoque publicae
auctoritatis imperio subiiciatur, sed perficiatur per aliquam actio-
nem in qua organice et concorditer simul sive publicae auctoritates
sive cives eorumque coetus partem habeant.

10 Christifideles ideo omnesque ^{bona voluntatis hominis} honesti homines pro viribus eni-
tantur, ut oeconomicae res ad iustitiae et aequitatis normas refe-
rantur et mutua collaboratio in rei socialis et oeconomicae provincia
in dies efficacior reddatur.

15 4. (Ecclesiae Magisterium et systemata oeconomica). Ecclesia lumine
magisterii in eo tendit ut animas convertat et ita oeconomiae cur-
sus variaequae rationes oeconomicae in tuto ponant praecipua bona
et necessitates personae humanae. Principia, quae Ecclesia docet,
eiusmodi sunt, ut rationes oeconomicas diversas intime inspirare
queant, et quidem mutatis rerum adiunctis ac temporum condicionibus.

20 Ecclesia proinde ^{non} propriam proponit scientiam de rebus oecono-
micis et socialibus neque huic vel illi systemati favet; sed tantum
eas doctrinas, systemata et activitates excludit, quae hominum na-
turae et libertati adversantur.

*Jyl. esse doctrinae, de
mas.*

25 5. (Rationalis et praestituta oeconomia atque actuosa hominum parti-
cipatio). Dum rei oeconomicae ordo ad rectam conformationem et ad
praestitutos sibi fines procedit, quilibet homo, utpote subiectum
et finis ordinis oeconomici, ius et officium habet partes suas ge-
rendi, cum de iis decernitur, quae influere possunt in evolutionem
et in cursum sive activitatum sive condicionum oeconomicarum et
30 socialium. Quod quidem tunc revera habetur, si facultas detur non
tantum libere eligendi et officii onera suscipiendi, sed et respon-
sabilitate propria cooperandi. Haec actuosa participatio exerceri
debet non tantum in ambitu uniuscuiusque coetus bonis gignendis,
sed extendatur oportet etiam ad iudicia spectantia totam Nationem
35 vel amplius praesertim per corpora intermedia fiat oportet; itemque
necesse est ut omnes de iis, quae ad rem pertinent, plene et secundum veritatem
certiores fieri possint.

* totum orbem. Quod quidem

I. DE INDOLE LABORIS HUMANI.

40 6. (De natura et dignitate laboris). S. Synodus ~~sollemniter~~ profi-
tetur humanum laborem cuiusvis generis vere spirituales indolem
induere utpote qui ab humana persona immediate procedat. Proinde
labor humanus individualem et socialem rationem prae se fert.

45 Labor humanus est munus ad divinae creationis opus complendum
ad propriam perfectionem et pro omnium utilitate; quare labor tam-
quam servitium proximis bonoque communi praestandum haberi debet,
quod quidem ad quemplurimos patet, et facultatem exhibet verae cari-

tatis cotidie exercendae. Immo, si christifideles cum Sanctissimo Redemptore coniunguntur maxime per laboris oblationem Deo factam, idem labor supernaturalem induit dignitatem.

5 Labor suapte natura valde honorificus est. Nemo proinde de sua condicione erubescat, sed laboris sui dignitatem probe intelligens eam in praxim deducere et ad supernaturalem ordinem evehere discat.

10 Favore prosequenda est evolutio laboris iuxta rationes in usum invectas hodiernis technicis inventis, inquantum efficiat ut magis magisque in singulis hominibus ingenii vis et responsabilitas perficiantur.

Ad hoc obtinendum studiose curandum est, ut activitas earum professionum, quae vulgo liberae dicuntur - sive hae exercentur independentes sive dependentes a magnis societatibus bonis gignendis, sumat indolem ipsarum propriam.

15 Actus proprii uniuscuiusque professionis hominum mentis cultura praedictorum ita ponantur ut libertas et responsabilitas secundum suam cuiusque peritiam, inventionis facultas et conscientia peculiare officium pro communitate praestandi, clarius pateant.

20 Huius rei gratia requiritur ut normae morales definiantur pro unaquaque professione (libera,) quae cautionibus, etiam a publica auctoritate praestandis, muniantur.

7. (De officio et iure laborandi). Ecclesia pariter proclamat universale ius et officium esse omnibus corporis vel mentis viribus, operandi ad suam cuiusque perfectionem attingendam et ad officia erga societatem adimplenda. Quod quidem officium et naturale ius laborandi ad unumquemque pertinens, praesertim urgetur, si homines suum familiaeque victum cultumque non nisi ex labore veluti ex unico capite sumere queant.

30 Ius laborandi postulat ut singuli homines suam professionem, secundum aptitudines suas, eligere et exercere libere possint itemque ut iidem relationes ad laborem pertinentes proprio consensu moderari valeant; exigit praeterea ut laborandi copia et facultas quam plurimis pro viribus comparetur et servetur, sociam ferentibus operam omnibus coetibus et singulis civibus, etiam aptis, remediis a publica potestate adhibitis.

40 Naturae humanae consentaneum est, ut quis altiorem vitae conditionis ordinem per activitatem propriam appetat; quam ad rem multum confert, si omnibus praebeatur cum opportunitas laborandi secundum inclinationes sibi proprias, tum facultas artis peritiam acquirendi etiam per studia altiora.

8. (De condicionibus in ipso actu laboris). Ne humanae personae dignitas labefactetur, sive quoad bona corporis sive animi et religionis, in cotidiano labore ordinando, cavendum est ne, spectatis sive laboris non intermissi diuturnitate sive methodo adhibita sive condicionibus hygienicis, plus requiratur quam vires, aetas, sexus, status familiaris uniuscuiusque ferre sinant.

Sita in ipsius hominis natura necessitas est, ut in societati-
bus bonis gignendis disciplina et apparatus adhibeantur quibus labo-
rantium conscientia et responsabilitas propria exerceatur. Inter
operarum conductores et eiusdem societatis addictos, mutuum obsequium,
5 existimatio et ad commune opus sincera conspiratio intercedant. Op-
portune audiantur opificum optata et in partem vitae societatis ad-
vocentur praesertim sub forma consociativa aptam ad totum coetum bo-
nis gignendis exprimendum, salva necessaria et efficaci auctoritate
quae eidem societati praeest.

10 Rectores inceptorum eorumque associationes, qua ampliore gau-
dent potentatu, eo attentius iustitiam erga opifices et bonum commu-
ne servare tenentur; praesertim in distribuendo labore, in genere
bonorum efficiendorum eligendo, in rythmo productionis determinando,
in aplicandis vel mutandis inceptis.

15 9. (De mulieris labore). Perfectiones illae individuales et sociales
quae personae humanae dignitatem afficiunt et ex labore oriuntur,
merito praedicantur etiam de labore mulierum; praesertim hodie ob
immutationes possibiles et aptiores modalitates, quoad condiciones
et horarum continuitatem.

20 Uxor et matris labor primariis familiae muneribus nullum de-
trimentum afferat. Adaequatis mediis iuxta membrorum familiae nume-
rum, satagendum est ne umquam mater ex necessitate cogatur operas
externas suscipere quae eius obligationes familiares in discrimen
adducant.

25 Si mulier, vel ex necessitate vel ad evolvendas peculiare in-
genii vires, extra domum operas exerceat, aptis et multiplicibus
normis ipsi vera libertas detur eas eligendi, quae mulieris et matris
condicioni conveniunt.

30 Mulieres in labore suscipiendo et peragendo semper prae oculis
habeant quantopere ipsarum operositas domestica valeat ad vitam fa-
miliarem bene ordinandam. Cum autem mulieres laborem extra domum
exercent, curent et ipsae et omnes qui de iis respondere debent, ne
utilitates propriae et sociales quae inde, vel immediate vel pro ho-
nesta posteriori vita, praesertim si non nupserint, gignuntur, in
35 detrimentum vergant superiorum bonorum, moralium et socialium, spe-
ciatim vero familiae, sed potius ea promoveant.

40 Ut mulieres plene et absque ullo detrimento dotes propriae
personalitatis in labore evolvere queant, necesse est ut congrua
religiosa, intellectuali, sociali, technica institutione ornentur,
quae mulieris indoli, aetati et condicioni, societatis progressui ac
temporum et locorum adiunctis, accomodata sint.

II. DE IUSTA LABORIS RETRIBUTIONE ET DE POLITICA SOCIALI.

10. (Normae iustae retributionis et de retributione politica). Divitiae ita
distribuenda sunt ut omnes homines vitam condignam degere queant.

45 Vigilandum ergo est atque omnibus viribus enitendum, ut ex
aucta laboris productivitate et divitiarum copia omnes prorsus per-
sonae et populi partem unicuique congruam accipiant atque emolumen-
tum.

Sacrosanctum Concilium proclamat retributionis modum et mensuram ad iustitiae et aequitatis normas omnino esse statuenda. Quod postulat ut prae oculis habeantur sive quantum singulus quisque ad bona gignenda conferat, sive quae necessario requirantur ad vitam homine dignam degendam et ad familiae onera convenienter ferenda. Retributio praeterea adaequari debet conditioni oeconomicae societatis cui opifex locat operam, praesertim quando illius productivitas augetur. Ratio habenda est etiam boni communis tum civitatis, tum cunctarum gentium, praesertim ad locandas universas operas quod attinet.

- 10 11. (De praevidentiae securitatisque institutis et politica). Iustitia socialis pariter postulat ut praevidentiae socialis et securitatis instituta, erigantur, ^{et socialibus (R)} quae aptae sint, spectata diversitate historicarum condicionum, ad iura praecipua personae tuenda quoad rem oeconomicam, valetudinem et culturam, ita ut personae et familiae vitalibus necessitatibus fiat satis, etiam in casu disparitatis in numero membrorum familiae.

15 Favendum est politicae activitati quae ad socialem securitatem firmandam ita dirigitur, ut liberius et facilius cives ipsi sibi providere valeant, ratione habita de singulorum, familiarum, intermediorum corporum inceptis, praesertim liberarum consociationum et socialium institutionum.

III. DE OECONOMICIS CONSOCIATIONIBUS EORUMQUE PRAESENTIA ACTIVA.

- 25 12. (De iure sese consodiandi). Ius sese consodiandi ad iura defendenda ac simul ad pacem et collaborationem in societate tuendas hominibus a natura esse Ecclesia indesinenter declarat.

30 Ut grave officium persolvere valeant, quod ipsis incumbit in associationum coetuumque oeconomicorum, professionalium vel socialium activitatibus, christifideles rite institui debent non tantum in iis omnibus, quae ad hos coetus et associationes pertinent, sed etiam in doctrinae christianae socialis cognitione, ut principiorum huius doctrinae luce, associationes coetusque quos ipsi erigunt vel quorum activitates participant, animare possint ac in tota sua agendi ratione spiritu evangelico dirigantur.

- 35 13. (De iuribus defendendis et iuridicis formis conciliationis). Ad iustitiam obtinendam et controversias sive individuales sive collectivitas laboris solvendas, media pacifica in primis adhibenda, quae sunt pactiones etiam collectivae et mutuae compositiones. Quae quidem media si imparia sunt vel frustra adhibita, operistitium et activitatis cessatio adhiberi possunt ut extrema agendi ratio, dummodo, spectata diversa eorum natura vindicanda iura tanti sint momenti ut tolerari oporteat damna familiarum, inceptuum et etiam communitatis, necessario comitantia. Quam maxime fieri poterit, praecavendum erit, ne exinde impediatur progressus ad controversias mediis iuridica efficacitate praeditis solvendas.

IV. DE IURIBUS IN BONIS TEMPORALIBUS.

5 14. (De universali destinatione bonorum et de iure primario rebus utendi). Deus hominem ad imaginem suam creavit, eique dixit: "Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subiicite eam" (Gen. 1, 28; cf. ibid. 1, 27-30). Inde sequitur creaturam rationis exper-tem esse propter hominem, ac proinde unumquemque ius habere et quidem primarium utendi rebus ad sui ipsius vitam digne sustentandam et ad personalitatem integre perficiendam. Quod ius nullo pacto abolere fas est, quocumque titulo.

10 15. (Proprietatis privatae fundamentum naturale, fines, formae, obiectum, exercitium). Ius proprietatis privatae ad personae libertatem protegendam et ad fines personalis perfectionis attingendos atque ad familiam secure condendam eidemque debite providendum necnon ad fines sociales prosequendos, fundatur in ipsa natura humanae personae, eo quod essentialis autonomia personae et ipse ordo socialis facilius, melius, copiosius ex divisione bonorum obtinetur [Cf. S.Thomas, Summa Theol. I-II, q.66, a.2].

20 Quamquam ipsum naturale ius possidendi privatim integrum inviolatumque maneat oportet, nihilominus, iuxta varias regionum temporumque condiciones, proprietates diversas formas induit et eius structura et obiectum immutari possunt.

Hoc ius exerceri potest non tantum a singulis, sed et a coetibus familiaribus necnon a communitatibus intermediis.

25 16. (De munere sociali proprietatis privatae). Cum autem homo vi naturae suae in societate vivat oportet, et cum ius primordiale et universale rebus utendi unicuique necessariis suam vim habere non cesset, in proprietate privata penitus munus inesse sociale ex ipso ordine naturali. Proprietates ergo, praesertim magni coetus bonis gignendis, cum debito ordine societatis recte componi debet et obligationes etiam secum fert relate ad omnium hominum fundamentalium iurium exercitium; proinde revera communi bono subordinari debet.

30 Sollenter omnes, praesertim qui divitiis pollent, ab immoderata bonorum temporalium appetentia caveant, ac memores sint omnium officiorum, quae a iustitia et aequitate necnon a caritate praecipiantur in ordine tum individuali tum sociali.

35 17. (Ius ad proprietatem et proprietatis privatae diffusio). Haud satis statuere ius proprietatis, nisi pariter omni contentione revera omnes homines effectivo exercitio huius iuris gaudeant per proprietatis privatae omnibus civium ordinibus propagationem. Quapropter vitam economicam et reddituum distributionem ita temperare conentur omnes, praesertim publica auctoritas, ut facilius fiat et quam latissime pateat aditus ad privatim possidenda bona, imprimis haud statim peritura, ac tam sufficienti amplitudine ut revera spatium vitale familiae constituent.

40

5 18. (De non aequa distributione et usu proprietatis emendandis necnon de publica proprietate). Ad auctoritatem civilem pertinet, si quando haud aequa possessionum, praesertim fundorum, partitio grave detrimentum oeconomico progressui afferat aut paci sociali noceat, consulere ut proprietatis privatae distributio et usus ad communem utilitatem conferat, immo, si aliter provideri nequeat, dominia remove, aequo pretio soluto.

10 Ceterum quae supradicta sunt minime prohibent quominus civitates ceteraque publica instituta iure res possideant, etiam ad opes gignendas idoneas, cum id bonum commune exiget ad progressum oeconomicum et socialem fovendum. Attamen tum tantum licet civitatibus ac publicis institutis domini sui fines amplificare, cum manifesta ac vera communis boni necessitas id exigat.

15 Proprietas publica quae ad bonum commune efficaciter promovendum et ad munera potestatis publicae apte persolvenda spectat, pariter ac proprietas privata, intra limites veri boni communis exerceri debet, iisdem officiis, modoque plene humano et revera sociali.

V - DE COMMUNI PROSPERITATE ET AEQUILIBRIO OECONOMICO.
DEQUE PUBLICAE POTESTATIS OFFICIIS

20 19. (De privatis inceptis ac de prosperitate generali fovenda). In re oeconomica, praesens adsit opera civilis potestatis, quae, debita competentia et spectata honestate, recto ordine inter se disponat et compleat privatorum incepta; ita quidem ut recte bonorum externorum incrementum provehat et aequilibrium inter partes extremas, coetus et varios operositatis campos curet, ideoque conducat ad vitae socialis progressum atque idem conferat ad singulorum coetuumque omnium oeconomicam securitatem.

30 20. (Auctoritatis publicae vigilantia quoad activitates oeconomicas). Specialis auctoritatis publicae vigilantia requiritur ut boni communis postulata serventur, praesertim quoad maiora incepta oeconomica. Ne tolerantur pactiones quibus pretia ad arbitrium imponuntur contra bonum sive particulare sive commune, lucra pro lubitu praestabiliuntur, legitima competitio iniuste impeditur.

CONCLUSIO PASTORALIS

35 Omnes homines, iura oeconomica vindicantes et activitatem oeconomicam propriam simul ac generalem progressum debito modo prosequentes, spiritum evangelicum colent, ita ut ordo oeconomico-socialis iuxta principia iustitiae et amoris intimius vivificetur et ipsi bona temporalia ~~attendentes~~ non amittant aeterna.

prosequenti